

Generi *Pycnoderes* Guér. statura similis, sed corpus latius ovale, pronoto basi longitudine distincte saltem paullo latiore, disco postico convexo sed ne minime quidem inflato praecipueque hemielytris nitidulis, embolio angusto, incrassato-reflexo distinctus; a genere *Neofurius* Dist. corpore breviore, capite a latere viso breviore, gula parum distinguenda, antennarum articulis duobus primis brevibus, callis pronoti minusculis, obliquis, latius distantibus, scutello punctulato, cuneo brevi, latitudine basali ad summum aequo longo divergens; a genere *Eurychilella* m. structura embolii hemielytrisque laevibus mox distinguendus.

*Sixeonotus morio* n. sp. Ovalis, cum antennis pedibusque niger, articulis duobus ultimis antennarum gracillimis, fuscis, tertio basin versus testaceo, ipso apice femorum, annulo anteapicali tibiarum, interdum obsoleto vel deficiente, articulisque tarsorum basalibus sordide albidis; hemielytris opacis, fusco-nigris; vertice interdum utrinque ad oculum anguste testaceo; capite verticali, basi pronoti vix magis quam dimidio angustiore, ab antico viso latitudini basali cum oculis fere aequo longo, a latere viso brevi, clypeo verticali, angulo faciali recto; fronte foveola mediana oblonga notata; articulo secundo antennarum margini verticis interoculari vix aequo longo; pronoto pone callos minutos tumido-convexo, crebre et profunde punctato, punctis admodum magnis, circiter tertia basali parte disci subhorizontali, aequali, solum ad latera obsoletissime impressa; scutello distincto, pronoto plus quam  $\frac{2}{3}$  breviore. Long.  $2\frac{2}{5}$ , lat.  $1\frac{1}{3}$  mm.

Mexico, 3 sp.

*Sixeonotus moestus* n. sp. Late ovalis, niger, sat nitidus, antennis pallide flaventibus, articulo primo basi vel toto nigro, secundo margini verticis interoculari aequo longo, tertio apicem versus quartoque fuscescensibus; rostro pedibusque albidis, femoribus posticis ante apicem late nigris, extremo apice tibiarum articuloque ultimo tarsorum nigro-fuscis; capite verticali, basi pronoti circiter  $\frac{3}{5}$ , angustiore, ab antico viso latitudine cum oculis aequo longo, a latere viso brevi, clypeo verticali, angulo faciali recto; vertice marginibus ad oculos angustissime obscure testaceis, fronte foveola basali instructa; pronoto cinereo-pilosulo, crebre punctato, pone callos minutos sat modice convexo, parte circiter tertia basali subhorizontali, transversim modice convexo, aequali, ante angulos utrinque levissime depresso, disco versus apicem depressiusculum sensim declivi; scutello pronoto circiter  $\frac{2}{3}$ , breviore; hemielytris fusco-nigris, leviter nitidulis, cuneo latitudine basali breviore, membrana cum areola sordida, dilute fumata, venis crassis nigro-fuscis. Long.  $2\frac{1}{2}$ , lat.  $1\frac{1}{2}$  mm.

Mexico m. Julii, 2 sp.; Chapul tepek, 1 sp.

*Sixeonotus rubellus* n. sp. Rufescens-testaceus, sat nitidus, pectore abdomine que fuscescensibus; articulo primo antennarum, pedibus cum coxis, margine exteriore embolii cuneoque pallide flaventibus, oculis articuloque secundo antennarum (ultimi desunt) nigris, hoc margini interoculari verticis aequo longo; capite verticali, basi pronoti fere paullo magis quam dimidio angustiore, ab antico viso latitudini cum oculis aequo longo, a latere viso brevi, clypeo verticali, angulo faciali recto; clypeo fuscescente, fronte foveola basali destituta, basi convessa; pronoto crebre sat subtiliter impresso-punctato, disco postico sat leviter convexo, apicem versus leviter declivi, ad angulos posticos levissime depresso; lateribus late et profunde sinuatis, a medio versus basin fortius ampliatis; scutello pronoto dimidio breviore, basi medio leviter impresso; membrana sat pallida. ♀ Long.  $2\frac{2}{5}$ , lat. hemielytrorum  $1\frac{2}{5}$  mm.

Mexico, 1 ♀.

Species lateribus pronoti fortius sinuatis insignis.